DVCIS NEOBVRGICI
ad Poloniæ Sceptrum aſpiranis & a multis iniquè traducti
IVSTA DEFENSIO.

E XXIII 78 Grzadki

IN acri illo certamine, quod duos inter Sereniſſimos Duces, Neoburgicum ac Lotharingum, Coronæ Polonicæ, potentes Cādidatos emerſit, multa à Partium ſtudioſis ſcribuntur, dicunturue, quæ meritò diſplicēt; atq; illud imprimis, quòd certi Æmuli, in quos illud ſcripturæ verū accidit: *& non erat conueniens teſtimonium illorum*, Sereniſſimum Principem Neoburgicum rumoribus vanis accuſationibúſq; parum æquis (ſic modeſtè appello, etſi non deſint, qui calumnias vocitent:) obſcurare nituntur, vt ſpe Regni deijciant. Hos ego errores (voluntarios, an inuoluntarios, non diſputo) ſtylo ſimplici, ſincero, breui, rectóq; diluendos ac diſſipandos eſſe cenſui. Non enim exulcerare errantes animos, ſed ſanare meum eſt. Age ergo, prodi, quiſquis iniquiùs de Optimo Principe ſentis, & tu accuſantis partes ſuſtine, ego iuſtæ defenſioni accingar. Principio tamen proteſtor, à me quidquid dicetur, incorruptis ac iuratis plurimorum & omni fide digniſſimorum teſtium ſententijs, ſi neceſſe ſit, comprobatum iri, cùm tu quæ dixeris, alieniſſima á vero ſint, nec teſtem vllum grauem ac idoneum habeas, qui ea, quæ protuleris, iurare velit.

Obijcis primò. *Dux Neoburgicus Princeps eſt, non ſat Catholicus.* Cur? *quia electus in Regem fauebit Hæreticis, & ijs Regnum Antehac Sarmaticam impleri patietur, qui ei Coronas & Sceptra iam precantur.* Quiſquis ita loqueris, non noſti Sereniſſimum Ducem. Vis noſſe Virum? audi: Philippus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni eſt ille, qui olim Ducem Acatholicum, ad ſingulare certamen in frequentiſſimis Imperij Comitijs prouocauit, quòd quædam acerbiùs contra Romanam Eccleſiam effutijſſet: Eſt ille, qui matri pientiſſimæ Magdalenæ Bauaræ (cuius vita in libris quoque editis deſcripta exſtat) moriturae promiſit, à ſe nunquam ductum iri in matrimonium Acatholicam. Stetit promiſſo fides. atque hæc ipſa Eliſabeta Amelia, altera Sereniſſimi Coniux, non antè thoro eius ſociata eſt, quàm Romanæ Eccleſiæ adiuncta fuerit: Eſt ille qui magnorum in Germania Principum conuerſionem ardenti ſtudio ad feliciſſimos exitus perduxit: vt multos taceam, vnus id Sereniſſimus Erneſtus Haſſiæ Landgrauius, ſi vis, ſcripto etiam teſtimonio confirma-

firmabit: Eſt ille, quiReligioſos varios, acres veræ fidei defenſores impenſe diligit; qui Patres Societ: Iesv in quinis Ducatuum ſuorum vrbibus, à Sereniſſimo eius Parente Wolffgango-Wilhelmo piæ memoriæ collocatos, & Collegijs quinque auctos fouet, nec ſatis habet beneficia ijs a Parente conceſſa, ceu parta tueri, ſed nouis quoque accumulat: Eſt ille, qui monaſterium novum Patribus Franciſcanis ſtrictioris obſeruãtiæ, & Monialibus Sanctæ Matris Tereſiæ in vrbe Neoburgenſi a fundamentis excitauit: Eſt ille qui templa varia, munificentiâ non tantùm Principe, ſed & Rege digna ornatu pretioſiſſimo ac multis imperialium millibus ſumptuoſo ditauit: Eſt ille, qui Sereniſſimis ſuis liberis nihil ita inſtillari iubet & vrget, quam Fidei Catholicæ ſtudium: cuius ſanè ſtudij ardoriſq; eximium ſpecimen Sereniſſimi liberi, ab Illuſtriſſimo Eiſtettenſi Principe ad conuiuium vocati nuper edidere, dum eius principis aulicum ſectâ lutheranum rationibus non modò ingenioſis, ſed ſupra quoq; ætatem maturis & ſolidis ad ſtuporem omnium exagitârunt, atq; vt Romanam fidem amplecteretur, gratioſè ſimul & fortitèr impulerunt: Eſt ille, qui prolixis quotidie precibus, quotidiano Miſſæ Sacrificio, qui quot feſtis diebus concioni, qui omnibus ijs, quæ à religioſiſſimo Principe exigi poſſunt ita ſedulò vacat, vt in veræ fidei ac totius Religionis cultu à nullo modernorum Principum ſe vinci patiatur.

Inſtas: *At Coniux moderna Sereniſsimi qualis eſt? an non Lutherana aut Calviniana hæreſi infecta?* Minimè. Coniux Sereniſſimi moderna tàm parum Lutherana eſt aut Caluiniana, quàm ego, qui iſthæc ſcribo: ipſa enim non modò anno huius ſæculi quinquageſimo tertio Lutheri ſectam adhuc tenera, maturè & ſincerè eiurauit, ſed interea temporis exactè maritum æmulata, cum eodem officijs omnibus, quæ Matronam eximiè piam & Catholiam decent, pulcherrimo Aulæ & ditionum ſubiectarum exemplo concertauit. Quod ſi probro das olim Caluino Lutheròque adhæſiſſe, at eum modò velis remiſque fugere, tunc tuo certè iudicio permulti hodie Heroes & Heroinæ damnandi erunt: diſparq; tu eris Angelis bonis, qui gaudent ſuper vno erpeccatore pœnitentiam agente.

Opponis deinde: *Neoburgicus Princeps ſexagenarius eſt ac ſenio fractus,*

fractus, imò Podagricus & æger, nec par laboribus, quos in regnante ſuo bellicoſa Polonia exigit. Pace tuâ dixerim: vana & ficta ſunt hæc omnia. Sereniſſimus ille, natus eſt Anno á Chriſto nato 1 6 1 5. die 25. Nouembr: Quo pacto igitur tu cum ſexagenarium venditas, qui nonniſi Annos 53. habet? an iſte ſenio fractus, cui in equeſtribus exercitijs nullus in tota Aula ſua, etiam hodiedum par eſt, & cuius poſt res ſerias ritè curatas, ludus ſolennis ac propè quotidianus eſſe ſolet Ceruorum, aprorum, aliarumque ferarum, uti & ardearum etiam violenta exagitatio ac venatus, Quid? ille podagricus, quem nulla vnquam afflixit podagra? Ille æger, qui non modò omnium, qui Principem familiariùs cognouêre, ſed medicorum etiam timoratæ conſcientiæ, & rei medicæ perquam peritorum calculo, complexionis tam ſanæ & robuſtæ etiã nunc eſt, ut multos in annos ſuperſtes eſſe queat, ni Deus caſu ſubito, qui etiã iuuenẽ ſœpè inuenit, vitã Principis minimè adhuc fatiſcẽtẽ ſubruerit. Anilis igitur metus eſt, eo electo, Rempublicã mox denuò orbã fore. Vanitas eſt, eum pro effœto ſene traducere, quem nulla ad id locorum ſenilia ſeu corporis, ſeu animi vitia tetigere.

Inſurgis tertiò. *Dux Neoburgicus cum Barbaris quoq; gentibus iciit fœdera. Coſaci Tartariq; Neoburgicis pecunijs corrupti in procinctu ſtant, vt per fratrum ac Ciuium funera, feroci Candidato aditum ad Scepra & Coronas aperiant.* Id nego id pernego: id meriſſimam & malitioſiſſimam eſſe aſſero calumniam, ſupremumq; Numen teſtor, pientiſſimo ac religioſiſſimo Principi nullum vel vllius literæ, taceo, pacti commercium cum Barbaris vnquam fuiſſe. *At fœdera habet cum Chriſtianis eijs & vicinis Principibus.* Habet; ſine tamen vllo Reipublicæ Polonæ detrimento, ſine vlla eius iurium & Priuilegiorum ſtatùſq; patrij læſione. In fœderibus ſingulis, aut hæc, aut ſimilia, verba inſerta eſſe tu noueris: *Expreſſe profitentur, quod per hæc pacta non intendant Statui, & iuribus & imprimis liberæ Regis eligendi facultati ſæpè dictæ Reipublicæ & Magni Ducatus Lithuaniæ nullatenus vel in minimo derogare vel præiudicare. At certis Principibus cum promotoris Prouincias ex pacto iam debet, quia promiſit.* Quæro ex te: Quas Prouincias? Polonas, inquis. Deum immortalem quanta hæc eſt, mentiendi, & ſuſpicandi licentia. Ego Deum teſtor, & is nouit, quia non mentior, nec Sueco, nec Brandeburgico, nec vlli externo Principi non terræ Polonicæ pedem, imò nec latum vnguem a Sereniſſimo hoc Duce addictum eſſe. quid tu ad

iſta, quæ tamen veriſſima ſunt? redarguis: *Saltem ex Ducatu Neoburgo, Iuliæ, montium, notabiles portiones fautoribus ſuis ceſſit, donavitque.* Et in hoc magnopere erras, & quod aſſeris, á mortalium nullo probari poterit.

Quartus tuus impetus eſt: *Neoburgicus Dux pauper, quo ſingulari Rempublicam beare commodo poterit? queis opibus ditare?* Obiecro te his verbis parcitum velis, ne iſta nationes exteræ audiant, arbitrenturq; á Polona Gente (quæ rectiſſima & glorioſiſſima ſemper audijt) iam Sceptra & Coronas venum exponi, quæ olim maiores non per vinculatas auro, ſed liberâ atq; omnino æquâ Electione deferre ſolebant, ijs, quos Regno ſuiſmet viribus & opibus ſat potenti, bene adminiſtrando pares & idoneos eſſe ſentiebant. Quodſi tamen cupidior, lucra & ditia commoda deſideras. nec iſta deſunt. An non magnum Reipublicæ commodum eſt aurea pax, fœcunda opum parens, ac ſecura conſeruatrix, quâ indubiè Polonia fruetur & ab omni cum vicinis bello (ſi barbaros exceperis, hereditarios, quiſquis demum Catholicus rexerit, Poloniæ hoſtes) imò & belli metu libera ſurget, & glorioſum caput in auras efferet, ſi illi Neoburgicus præſit; quem amant, quem commendāt vicini Chriſtiani Principes omnes. Sed & audi, quam pauper ſit: Dux ille Regni Candidatus, in annos ſingulos (taceo contributiones copioſiſſimas in Comitijs Statuum eidem aſſignari ſolitas) ex prouentibus ordinarijs etiam modò plura centena imperialium millia percipit. Dux ille paratus eſt Reipub. præſtare multa præclara. rogas quæ illa? quieſce pauliſper: intelliges vbi qui miſſi ſunt à Duce, ad Reipublicæ alloquium admiſſi fuerint: & caue dixeris: *pollicitis diues quilibet eſſe poteſt*, crede mihi nihil pollicebitur Princeps, niſi quod ſcit ſe ſeruare & velle & poſſe. & quod Poloniæ ſemel dederit, nunquam repetet. At ego hîc te paucis: Dux alter cui tu ſtudes, vnde habet ſumptus illos profuſiores qui eius cauſâ iam fiunt, quatuor illos milliones, quos Reipublicæ oblaturus dicitur? Sunt qui conijciant, nec vanè, dediſſe mutuos Carolum Seniorem, Caroli iunioris patruum: quibus conditionibus? vt filius patruo non legitimè natus tam diu Lotharingiam poſſideat, vſq; dum pecunia data reſtituatur. vnde reſtituetur? non vi-

deb ſieri poſſe, niſi ex Poloniæ reditibus ſuo tempore id fiat? O oblationem miſeram, & donationem parum Regiam! Quod iam Poloniæ datur ipſa reddet, & quod iam offertur, cum tempus erit, auferetur iterum.

Obex quintus: *Tuo iudicio eſt copioſa Ducis Proles, Maſculi octo, Fæmellæ tres, quibus plures fortè ſuccedent.* Cur criminaris liberorum multitudinem, quâ velut baſi niti ſolent fundariq; regnatrices domus? In Rege altero diſplicuit tibi ſterilitas, & in nouo fœcunditatem improbas. *Improbo;* ais, *quia vbi multi Regum liberi, ibi illis Prouinciarum regimen, Epiſcopatuum mithras, militiæ præfecturas, Palatinatuum munia obtingere & concedi neceſſe eſt, negariq; bene meritis.* Næ tu ſollicitus es, & turbaris erga plurima. Sereniſſimus Dux non plures in Regnum liberos inducet, niſi quot, & quos Reſpublica volet idq; pollicebitur iuratus. *vnde ergo viuent reliqui?* inde, vnde modò dum in ætate tenera ſunt, ex prouentibus paternorum ducatuum dũ adulti fuerint, ex beneficijs & officijs hactenus in Germania procuratis & procurandis impoſterum. *Verum hæc beneficia impeſia ſunt, quæ Ducem alant.* Bone vir, Decanatus & Præpoſitura Colonienſis alere potuit Ducem Lotharingiæ Franciſcum tot annis, poterit & Ducẽ Iuliæ. qui res Germaniæ vel à limine ſalutârũt, norũt, quot in ea Principes vnis Eccleſiaſticis prouentibus lautè, & ita, vt Principes decet, viuant. Ad extremũ te interrogo: quid ſi Candidatus alter vxorem ducat (quàm illi è Gallia Reginæ defunctæ ex Sorore neptem, plures potenter & cum magnis promiſſis offerunt, vt viri ſagaciores affirmant) quanti ſumptus faciendi erunt, à Republica in nouas Regis adhuc cœlibis nuptias, quibus ipſa omnino libera futura eſt, ſi Neoburgicum elegerit? tum quid ſi ex ea liberos æquè multos aut plures ſuſcipiat, quis eos alet? nonne vna Polonia?

Remora ſexta, eáq; non minima: *Dux ille factioni Gallicæ eſt illigatus, & à Gallo ad Regnum promouetur; & quidni ergo Gallus ſit:* retorqueo: quidni Cæſareanus ſit, quem ad Coronam vnicè Cæſar per Legatum ſuum, pro vno Neoburgico peroraturum cõmendat: tum conſidera, qui inter Polonos ſint, qui Neoburgicum maximè Regem velint: an non pleriq; tales, qui armis & conſilijs Reginæ conatus aliquando repreſſerunt? vrges denuò: *Ad quid ergo iſtæ exterorum Principum commendationes, ſi ipſi Poloni*

ſtudet

ſudet? dicam: Commendationes illæ Ducem Polonis non ob-trudunt, ſed offerunt, & eligendum non extorquent, ſed ſua-dent. Liberrima interim manet Nobilitati Polonæ electio, & per eam vbi Regnum Dux acceperit, vni Polonorum benevo-lentiæ, quoad viuet, in acceptis totum referet.

Succedit denigratio Septima. *Neoburgicus abdicationem Regis procuravit.* id tu aſſeris, ſed qui probas? Sanè contra te pugnat illud, de quo certus ſum ego: nempè à Sereniſſimo Principe filiam propriam in Coniugem Ioanni Caſimiro viduo oblatam eſſe, vt ipſe Rex manens ex ea Iagellonis Stemma tam Po-lonis amicum propagaret. *abdicato Rege dedit,* inquis *munera, vt ipſe Rex fieret.* id credam tibi, vbi eos qui munera acceperint recen-ſueris conuiceriſq; tum ſi factum, quid peccati ſit per dona velle aſſequi Coronam? aliud eſt Mithra & aliud Corona. & quid ſi tuo iudicio & ille Reipub. regendæ ſit aptiſſimus, qui ſparſit munera, quid facto opus?

Hic inter Sacrum ſaxumq; ſtatur.

Vltima eáq;, vt putas, impreſſio valida eſt: *Neoburgico, quia Princeps Germaniæ, aditus ad ſceptrum Poloniæ præcluſus eſſe.* Non credam apud te Germanum naſci; eſſe vitium originis, ſeu originale peccatum politicum, quo qui infectus ſit, ad Regnum Poloniæ aſpirare nequeat. Sanè Saveára magnus inter Hiſpanos politicus Nationem Germanicam digniſſimam aſſerit, cui credantur Im-perja, cur non & Regna? Loquuntur multa iam ſæcula Princi-pes Germanorum familias per vniuerſam pene Europam Re-gum avelut promptuarium extitiſſe. Nihil de Romani Imperij tranſlatione, de Italiæ Regno, Hieroſolymitano, & Conſtan-tinopolitano nihil dicam. Magni illi Francorum Monarchæ Capeuingij nónne ſe ex ſtirpe Saxonum Witikindea ferunt? dignatione pares Hiſpani, illi Pomæriorum orbis & catholici Chriſtianiſmi propagatores, nónne in Auſtriacam ditionem ſingulari Europæ & reliqui orbis fato conceſſerunt? Angliæ Reges à Gulielmo conquæſtore Normannorum Germanicæ gen-tis Principe deſcendunt. Daniâ & Noruegiâ ſuperiore ſæculo Holſatiæ Duces, Succiâ nuper glorioſiſſimi Palatini non iuris neceſſitate ſed ſpontaneâ gentium electione potiti ſunt. Iam verò ſi tot præclariſſimis nationibus regniſq; rectè moderari queant Germani, cur non & Poloniæ, ſi in eam vocentur,

cum

cum qua ſi vlla orbis Prouincia, certè Germnia in libero illo ſuauiq; populorum regimine maximè conſpirat quanta eſt facilitas Cæſaris imperantis inter Germanos tanta, ſi non maior, eſt Principis regnantis inter Polonos. Id qui negat is profectò & ſolem in pleno meridie fulgere, negare auſit. Sed neq; id ſubſiſtit, quod dicitur *Germanis Polonos exoſos eſſe.* cur enim oderint? an non Auſtra Germaniæ pars nuper Poloniæ laboranti, ſuccurrit?

Atqui amicus certus in re incerta cernitur.

Quæ omnia cum ita ſint, vti ſunt, quis non videt Sereniſſimo huic Principi hodiedum Vladiſlai Regis iudicium ſupremis tabulis Neoburgicum ad Sceptra commendantis ſuffragari? etiam modernâ tempeſtate hic ſi eſſet, non aliter ſentiret nam Sororium ſuum inueniret viribus corporis non fractum, ſed integrum, & animi dotibus auctiorem multò, quàm erat, cum ipſe viueret. Mirū enim quantùm dotes illæ multâ rerum experientiâ, & aſſiduo virtutum exercitio creuere. Vos igitur, vos appello noui Regis Nobiliſſimi numroſiſſimiq; Electores, atq; vnicâ ratiotinatione rem totam expedio Eum Polonia Regem nominet, qui Regno præ omnibus maximè expedit, atqui talis ante omnes Dux Neoburgicus eſt quem defendi, & quem compendio deſcriptum, ac quaſi in tabua depictum exhibeo. Hic Vir, hic eſt, quem clariſſimi Palatinæ Domus natales commendant, qui vel ipſa oris ſpecie, Augu ſta corporis proceritate magna omnia pollicetur: hic zeloſiſ ſimus eſt Fidei Romanæ Catholicæ propugnator; Dei amans & metuens, ſi vllus, in Deiparam & Superos & olim in Sereniſſimos Parentes, dum viuerent, obſeruantiſſimus, & vel ex hoc capite benedictione omni ac felicitate Regiá digniſſimus.

Hic glorioſiſſimo in Principe exemplo, vitæ ſemper innocuæ, & ſiue cœlebs, ſiue coniugatus, ſemper labis & omns notæ expers. hic ætate maturus; minimè tamen debilis ſed viribus corporis nec iuueni impar, adeòq; & Togæ & Sago idoneus: hic excelſæ mentis Heros Polono militi in omnia cbellorum pericula & Comes & Dux iturus eſt. uti iuit olim, cùm ipſi à ſene Parente exercitus commiſſus, quem in Electorem Brandeburgicum duceret Sunt qui meminerint tùm à lacrymante Parente tribunos cæteros, campiq; ductores rogatos

eſſe,

eſſe, *ſeruarent Filium, nec ſinerent ſuo ipſum impetu in hoſtem ferri, alioqui pronum & præcipitem in maxima quæq; diſcrimina ruiturum.* ſunt quoq; qui meminerint veteranos belli Duces, qui multa ſub Sereñi Lotharingo ſeniore ſtipendia fecerant, de Principe hoc teſtatos eſſe: *eum vnis Caſtris & Militem & Imperatorem euadere poſſe eximium*, tam altam capacémq, mentem in Principe laudato obſeruârant. Hic longâ regendi arte & multo publicorum negotiorum ſolertér tractandorum vſu, iam clarus, regnatricem ſcientiam non eſt quod in Polonia diſcat, cùm eam alibi iam dudum exercuerit: Hic rari ingenij & prudentiæ Princeps ſe ipſum, & viros ſapientiſſimos conſulere ſuetus, non Coniugem, non fœminas alias iudicijs cõſilijſuè ſuis immiſceri paſſꝰ eſt hactenus, nec porrò patietur; nouit muliebrem indolem eſſe eam, in qua iudicium debile, & affectus vehementiores plerumq; dominari ſoleant Hic mirè comis in omnes; in animis conciliandis potens; in benemeritos munificus, a belli periculo ob ditiones hæreditarias (queis nemo vicinus inhiat) remotus; inimicus nemini, niſi barbaris. Romano Cæſari dilectus; commendatus ab omnibus. Hic genere, moribus & indole, non barbarus, ſed Germanus integer, libertatis dulcedini innutritus, nec vlli eam inuidens, imò Polonus, cùm Regum Polonorum Bis Nepos, *affinitate* nimirum & *ſanguine* (vti editæ Genealogiæ teſtantur) & Poloniæ ipſi iam pridem amicitiâ & hoſpitio coniunctus ſit:

Verbo: Hic eſt, quem non ſpes, ſed res commendat.

Quid reſtat? Concluſio. tu eam fac Polone Nobilis, ac dicito.

Ergo Neoburgicus REX eſto.